



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 200. Oratores Lusitaniæ Regis ad alloquium a Synodo admissi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Investivam contra hunc Pontificem scripsit, in qua vitia & corruptos illius mores fuso, sed amaro nimis stylo insectatus est, quod opusculum e Bibliotheca Helmstatiensi extractum, Vonder Hardtus publici juris fecit. Alium adhuc composuit librum Constantiæ, *Historia luculenta de Concilio & vita Joannis XXIII.* continuata usque ad punitionem Joannis Creit Simoniaci, cujus mox meminimus. Exstat quoque alius quidam tractatus *de juribus & privilegiis Imperatorum quoad investituras Episcoporum.* Dictio hujus Auctoris est oppido aspera & inconcinna, quamvis ceteroquin ævi sui gesta non minori fide ac solertia, quam verborum gravitate referre videatur.

Sæcul. XV.

A.C. 1416.

§. CC.

Oratores Regis Lusitaniæ ad alloquium a Synodo admissi.

Die quinta Junii Oratores Joannis Lusitaniæ Regis, qui non ita pridem Constantiam venerant, a Synodo audiebantur. Nomine sui Regis, qui hucusque Joannis XXIII. partibus adhærebat, Patribus sacramentum præstabant, simulque nunciabant, Saracenos a Lusitanis fusos fugatosque, ac Septam Africæ urbem unacum portu fuisse captam.

Mox

Sæcul. XV. Mox Episcopus Saresberiensis, & post
A.C. 1416. ipsum Cardinalis Florentinus hanc in rem
 sermones declamabant, quibus Regem,
 & Lusitanam Nationem insignibus effe-
 rebant elogiis.

§. CCI.

Episcopus Argentinensis in Synodo.

Paucis ex post diebus scilicet 27. Junii
 habita est generalis Congregatio, in
 qua Henricus Latzenbogius, quem Sy-
 nodus ad liberandum, & Synodo sisten-
 dum Argentinensem Episcopum miserat,
 hunc Præfulem in Concilio produxit. Ser-
 monem habuit Episcopus Saresberiensis,
 in quo hujus Episcopi negligentiam in
 administranda sua Diœcesi, necnon Capi-
 tuli, urbisque violentias illi illatas acri-
 ter infectatus est. Quo factò duo Cardi-
 nales, totidemque Prælati ex qualibet
 Natione nominabantur, qui causam hanc
 in bonum utriusque partis componerent.
 In eadem quoque Congregatione lecta
 fuit Epistola Arragonum Regis, qua si-
 gnificabatur, Regem omnibus Regni sui
 Prælati, ut quarta Julii Constantiæ
 adessent, sub gravibus pænis injunxisse.
 Actum denique de lite inter Electorem
 Palatinum, & duos ejus fratres, Gui-
 lielmum, & Othonem ob quasdam pos-
 sessiones exorta, sed nihil hac in causa
 decisum fuit.

§. CCII.